



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus Unicus. Argumentum. Beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici
vacantia per obitum Familiarium officialium, seu Familiarium Papæ an sint
Sedi Apostolicæ reservata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

- Monasteriorum, Præpositoriarum, dignitatum, & quorumcumque beneficiorum; quod ut commodius facere possent, præsentabant, & institui procurabant personas minus idoneas, & sibi dependentes, proinde Innocentius VIII. optimè sciens axioma illud Gregorii Magni relat: à Gratian. in cap. Privilegium 11. q.3. nimirum, quod Privilegium omnino mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, revocavit hic Juspatronatus ex Privilegio, & ex quibuscumque causis, & conditionibus etiam adimplatis, concessum retroactis temporibus, & præsertim vigintiquinque annis citra à Summis Pontificibus, aut à Legatis Sedis Apostolicæ, aut à Nunciis, etiam cum potestate Legati de Latere, Regibus, Reginis, Ducibus, & Marchionibus, & aliis Principibus, Communitatibus, Civitatibus, Universitatibus Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum Locorum, Confraternitatibus, & Collegiis Sæcularium Personarum, nec non aliis tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus Personis, quoad beneficia electiva, nempè quoad Monasteria, Prioratus, Præpositorias, & Personatus, ac dignitates conuentuales tam in Cathedralibus, quam Metropolitanis, & collegiatis post Pontificales majores, nec non administrationes, officia, Canonicatus, cæteraque beneficia Ecclesiastica electiva. Revocavit etiam Juspatronatus quoad beneficia non electiva, & quoad hospitalia, & alia pia Loca in duobus casibus, nimirum in casu, quo redditus, & preventus hujusmodi beneficiorum, & Locorum piorum non fuerint aucti ad medietatem veri anni valoris, & in casu, quo Ecclesiæ non fuerint fundatae, nec de novo ædificatae, vel omnino dirutæ, & distractæ non reædificatae.
- 2 Hujusmodi autem revocatio ob superventam nimiam liberalitatem successorum Pontificum præsertim Leonis X. neque sufficiebat; unde supervenit Constitutio Hadriani VI. quæ similiter revocavit omnia Privilegia concessa ab anno primo Pontificatus Innocentii VIII. & successivè dispositio S. Concilii Tridentini dicto Canone XII. ubi supra. Spectant ad hos Canones illi duo Casus, quos superius examinavi Part. I., nimirum Casus X. Canon. III., & Casus III. Canon. IV., quos ibi legere poteris; Hic vero sequentia adduntur.

ARGUMENTUM.

Beneficium de Jurepatronatus laicali ex augmento dotis acquisto an cadat sub Concordatis Germaniae, & aliis reservationibus Apostolicis.

SUMMARIUM.

- 1 Juspatronatus laicale ex augmento dotis acquistum non cadit sub concordatis Germaniae, & aliis reservationibus Apostolicis. Intellige ut nu. 4. & 5.
- 2 Beneficium vacans in mense Januarii cadit sub concordatis Germaniae.
- 3 Augmentum dotis considerari potest ad effectum impediendi revocationem jurispatronatus, & ad effectum excludendi reservationes Apostolicas, & qua sit differentia inter utrumque. Vide ibi, & nu. 4.
- 6 Ad effectum evitandi reservationes Apostolicas an, & quando presumatur aug-

mentum præponderare gratiæ, quando Patronus est in possessione præsentandi. Vide ibi.

CASUS UNICUS.

Cum redditus Ecclesiæ Parochialis A in partibus Germaniae existentes ascendentibus ad annua scuta viginti, essent insufficientes pro congrua sustentatione, Parochi, quidam pius Testator mandavit in ejus Testamento, ut augerentur de propriis bonis in aliis annuis scutis duodecim cum reservatione Jurispatronatus favore sui, suorumque heredum. Post multi temporis decursum vacata eadem Ecclesia Parochiali mense Januarii ex vi concordatorum S. Sedi reservato, fuit illa impetrata à quodam Sacerdote in Dataria Apostolica: Quæritur an hujusmodi impetratio sustineatur.

I Negativè respondendum videtur, quia dicta Ecclesia Parochialis est de jurepatronatus laicali, cum ejus dos fuerit aucta plusquam ad medietatem à præfato Testatore de bonis propriis laicalibus, ac proin-

proinde sub concordatis Germaniæ, & aliis reservationibus Apostolicis cadere minimè potest, ex superiori firmatis *Can. II. Cas. I. n. 1.* & 8.

- 2 Sed hoc non obstante contrarium verius de jure censeo; Etenim Ecclesia hæc Parochialis vacavit in mense Januarii Sedis Apostolicæ reservato non solum ex vi Concordatorum Germaniæ, ut dixi dicto *Can. II.* verùm etiam ex Regula IX. Cancellariæ, ut dicam infrà *Can. XXIII.* unde validè impetrari potuit in Dataria.

Quin ullatenus aduersetur, quod dicta Ecclesia sit de jurepatronatus laicali ex 3 augmento dotis acquisito; Quoniam sciendum est, quod augmentum dotis Ecclesiæ, sive beneficii ad medietatem, considerari possit ad duplicum effectum; nimirum ad effectum impediendi revocationem jurispatronatus ab his *Canonibus* demandatam, & ad effectum excludendi reservationes Apostolicas. Si consideretur ad effectum impediendi revocationem jurispatronatus, tunc medietas sufficit, quod calculetur, habito respectu ad antiquam dotem, adeò ut si augmentum excedat medietatem antiquæ dotis, licet sit antiqua dote inferius, jurispatronatus non dicitur ab his *Canonibus* revocatum, sed Patronus ex augmentatione dotis, vacato beneficio in mense Ordinario, poterit 4 ad illud præsentare; Si verò consideretur ad effectum excludendi reservationes Apostolicas, tunc medietas non sufficit, quod calculetur, habito respectu solum ad antiquam dotem, sed calculari debet, habito respectu ad antiquam dotem simul, & novam, adeò ut nova dos, quæ augetur, debet præponderare antiquæ, vel esse coæqualis antiquæ doti, & si non præponderet, vel non sit coæqualis antiquæ, jurispatronatus concessum ex hujusmodi augmentatione non dicitur concessum ex justitia, sed ex privilegio, & cadit sub reservationibus Apostolicis non obstante, quod sit laicale; ut docet *Card. de Luc. de jurepat. disc. 2. n. 8.* & *disc. 10. n. 3.* & 4. & *disc. 65. n. 26.* & optimè *Præceptor meus discip. Eccles. 33. n. 14.* §. At æquivocum, *Rot. dec. 58.* & *88. par. 1.* & *dec. 29. par. 7.* & *decif. 492. par. 13.* & *decif. 449. par. 14.* recent. & *decif. 753. nu. 9.* coram *Coccin.*

5 In casu præsenti augmentum dotis

controversæ Ecclesiæ Parochialis in scutis duodecim non excedit, nec est coæquale antiquæ doti scutorum viginti; unde licet juspatronatus ad illam non sit revocatum; comprehenditur tamen sub concordatis, & sub reservationibus Apostolicis, præsertim Regulæ IX. Cancellariæ, quæ derogat omnibus privilegiis jurispatronatus non concessi ex vera fundatione, & dotatione, ut tradunt *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 8. n. 78.* & seqq. *Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 10. n. 27.* *Barbos. ad Concil. Jeff. 25. cap. 9. n. 71.* *Panimoll. decis. 9. annot. 3. n. 11.* & seqq. *Adden. ad Gregor. decis. 397. nu. 6. versic.* hæc verò omnia, *Rot. decis. 469. n. 4.* & seq. & *decif. 1056. n. 18.* & seq. cor. *Coccin.*

6 Non meretur attendi, si dicatur, quod Patronus sit in possessione præsentandi ad dictam Ecclesiam Parochiale, ex quo sequitur, quod ad effectum evitandi reservationes Apostolicas præsumatur augmentum præponderare gratiæ; siquidem hujusmodi conclusio procedit, quando concurrit longæva possessio præsentandi in mensibus reservatis, cum enim stare simul possit, quod juspatronatus sit validum, & non revocatum per hos *Canones*, ita ut in mensibus Ordinarii possit Patronus præsentare, & per contrarium, quod adhuc beneficium sit reservatum, quando non probatur augmentationum præponderare gratiæ, ut dixi superius num. 4. Exinde sequitur, ut non sufficiat possessio præsentandi in mensibus Ordinarii ad præsumendam hanc præponderantiam, sed requiritur possessio præsentandi in mensibus reservatis, & quidem longæva quadraginta, & ultra annorum, & contra reservationes Apostolicas, dum unica præsentatio facta in mense reservato suffragari non potest ad effectum relevandi Patronum ab onere probandi augmentationum dotis præponderare privilegio, quando est in possessione præsentandi in mensibus reservatis; juxta *Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 8. nu. 70.* & seqq. ubi firmat contra Regulam octavam non suffragari quasi possessionem ex unicó actu quæsitam. *Gonzal. ad regul. 8. gloss. 18. nu. 24. in fin.* *Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 10. n. 16.* *Rot. dec. 58. n. 1. par. 1.* & *dec. 725. n. 8. par. 18. rec.* & *dec. 1056. n. 32.* & *dec. 1077. n. 5.* & seq. cor. *Coccin.* ubi

ubi quod ultimus status suffragatur quando agitur inter Episcopum, & Patronum

non contra Datariam, seu reservationem Regulæ IX.

C A N O N V.

PAULUS TERTIUS Constit. III. §. 1. Bull. Rom. Tom. I.

SAnctissimus in Christo Pater: *Et infra.* Eadem Sanctitas Ann. 1543. Sua hujusmodi ambiguitatem in futurum tollere volens ex certa scientia declaravit Referendarios, & alios Officiales ex dicto Palatio panem habentes, Protonotarios, Subdiacenos, Auditores Rotæ, Acolytos, Scutiferos, Secretarios, literarum Apostolicarum Scriptores, Cubicularios, ac Miltites S. Petri, reliquosque Officiales eidem Sanctitati Suæ, & Romano Pontifici pro tempore existenti, in Palatio deservientes, aut custodiam facientes, licet in eodem non habitaverint, nec habitent, nec forsan habitabunt, nec in tinello comedenterint, nec comedant, nec in futurum forsan comedent, in posterum veros, & indubitatos Sanctitatis Suæ, & Romanorum pro tempore Pontificum, & non per privilegium, nec facte Familiares continuos Commensales censeri, reputari, & esse, itaut regulis tam editis, quam edendis, de veris Familiaribus, & continuais Commensalibus Suæ Santitatis, & Romanorum pro tempore Pontificum loquentibus in posterum potiantur, & gaudeant, ac eis quoque, quo ad omnia subjiciantur; etiam ad hoc, ut Sanctitas Sua, & alii Pontifices occurrentibus vacationibus Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum, & obtainendorum, qualitercumque qualificatorum per obitum eorumdem in Romana Curia, vel extra, ad collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, & Collaticum communiter, vel divisim pertinentium providere, & de illis disponere liberè valeant in omnibus, & per omnia, ac si Referendarii, Secretarii, Scriptores, & alii Officiales hujusmodi, ac deservientes

Pars VI.

I i

tes